

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae IV.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

*des esset, notique homines interfe-
cti, insinlareturque familia, par-
tim etiam liberi, societatis eius etc.*

T. Ampius] Qui ante Lentu-
lum Ciliciae praefuerat, praetorius,
non consularis. T. Ampium tribu-
num plebis nominat Velleius lib. 2.
c. 40. qui cum T. Labieno colle-
ga legem tulit, Cicerone consule,
vt Pompeius, post victoriam Mi-
thridaticam, ludis Circensibus co-
rona aurea, et omni cultu trium-
phantium utoreretur, scenicis autem
praetexta, coronaque aurea. In-
ter tribunatum autem, et praetu-
ram cum anni quattuor intersint,
praetor fuisse videtur Pisone et Ga-
binio cossi. id est, quadriennio post
Ciceronem consulem, et anno se-
quenti, Lentulo et Metello cossi.
iuit in Ciliciam: eique postero an-
no Lentulus, Marcellino et Philip-
po cossi. successit. itaque ratio tem-
porum probare videtur, Ampium,
qui Ciliciae praefuit ante Lentulum,
eum esse, quem nominat Velleius.
Nec tamen eum negauerim esse
posse, qui ciuili bello delectum

habuit pro Pompeio, vt lib. 8. ad
Attic. epist. 11. et ad quem exsul-
lem epistolae Ciceronis exstant
lib. 6. et lib. 10. Caesar quoque
Pompeianum indicat fuisse lib. 3.
de bell. ciu. c. 105. cum ait: Re-
periebat, T. Ampium conatum esse
tollere pecunias Epheso ex fano
Dianae, eiusque rei causa senato-
res omnes ex prouincia vocasse, vt,
iis testibus, summa pecuniae utere-
tur, sed interpellatum aduentu
Caesaris profugisse. Legebatur
olim in vulgatis libris, T. Appius,
mendo manifesto: quia duo prae-
nomina simul esse non possunt, ideo
reposuimus, coniecturam secuti,
T. Ampius: quam postea coniectu-
ram veteres aliquot libri compro-
barunt. Mediceus tamen, et alii
nonnulli, Tampus: quod repre-
hendere non ausim, cum Tampio-
rum quoque familiam Romae fuisse
videam.

Non vulgarem] Non quo gene-
re vulgo utimur in iis commen-
dandis, quorum causa minimum
laboramus, verum accuratam, exqui-
sitam, amoris, ac studii plenam.

EPISTOLAE IV.

ARGVMENTVM.

*Negotialis est usque ad illud: ego neque de meo studio. Nar-
rat, quid actum in senatu, quid promiserint tribuni plebis, quae sit
opinio populi Romani, qua senatus in eum voluntate: quod ad po-
pularum rationem attinet, nihil timendum, vi tamen excepta: suum
studium in regia causa, aliorum iniurias, magistratum imbecillitatem
ostendit: postremo de senatu, populoque Romano spem optimam affert.*

EXPLANATIO.

A. d. xvi. Kal. Febr.] Continuo
triduo, idibus, xvii. et xvi.
Kal. actum, est in senatu de red-

ditione regis. comitalis dies fuit,
quo hanc epistolam Cicero scripsit,
xv. Kal. vt ex lib. 2. ad Q. Fr.
epist.

epist. 2. cognoscitur. iis tribus diebus cur nihil sit confectum, variae quidem obstitere causae, sed vno nomine omnes, nimirum tribunorum plebis iniquitate, comprehenduntur. nam idibus Caninius tribunus plebis eoque cum Lentulo consule altercatus est, ut diem consumpserit. xvii. Kal. ne discessio fieret in Hortensii sententiam, quae Lentulo decernebat, ut regem reduceret; Lupi tribuni plebis iniqua, et nova prohibuit oratio. xvi. Kal. res ab adversariis Lentuli, id est, a tribunis plebis extracta est variis calumniis.

Pulcherrime] Honestissime, per honorifice.

Staremus] Translatio a pugnantibus, qui *stare* tunc dicuntur, cum eum, quem cepere, locum obtinent: quod fortitudinis est.

De tribus legatis] Priuatis: qua sententia Lentulus, et Pompeius excluderentur, qui erant cum imperio.

Fregeramus] Pergit in translatione. nam, frangere impetus adversarii, de pugnantibus usurpatur. significat, quod in epist. 2. dictum est: *de tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia.*

Certamen] Tertium, et ultimum translationis verbum; longius autem producta, similitudo potius, quam translatio, videretur.

Sententia Volcatii] Ut Pompeius regem reduceret: de quo Lupus tribunus plebis retulerat.

Aduersariis] Praesertim tribunis plebis, de quibus infra: *Nemo est enim, qui nesciat, quo minus discessio fieret, per aduersarios tuos esse factum: qui nunc, populi nomine, re autem vera, sceleratissi-*

mo latrocinio, si quae conabuntur agere, satis prouisum est, etc.

Variis calumniis] Senatores cum eam rem, de qua sententiam rogabantur, perfici nollent, longa oratione, ut diem consumerent utebantur. ius enim erat, ut sententiam rogati, dicerent ante, quidquid vellent alius rei, et quoad vellent. quod in libro de officio senatorum Capito scriptum reliquit. Hacígitur potestate, improbo, astutoque consilio rem extraxerunt Lentuli aduersarii, cum alius alia diceret, ut diem eximerent: quod est factum. *Varias calumnias* vocat Cicero varias causas fictas inductas, varia figmenta, cum nihil verum, nihil ex animo loquerentur, sed tantum ut rem ducerent, diemque dicendo extraherent. sic lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2. *Per obrectatores Lentuli res calumnia extracta est.*

Frequenti senatu] Cum adessent plurimi senatores. Plures quadringentis in senatu affuisse, bis omnino, ut mea memoria est, legi; CDX. in orat. post reditum in senatu c. 10. CDXV. lib. 1. ad Attic. epist. 14.

In magna varietate] Sic tres mei, sic et vnus Alberti Ferri, optimi eruditique adolescentis, et duo praeterea Sigonii veteres libri. Varietatem autem sententiarum dicit. hoc enim in primis honorificum, in magna varietate, magnae inuidia, causam tamen obtinere. in quo suum officium tacite Cicero commendat. quis enim nescit, operam officiumque nostrum laudari magis, ubi quid obtinemus in magna sententiarum varietate, quam si varietas non magna sit? Sententias quinque varie decernentium exposuit in prima epistola; Hortensii,

8. ad
exfu-
stant
oque
b. 3.
Re-
esse
fano
nato-
vt,
tere-
tentu
atur
pius,
prae-
ideo
ecuti,
ectu-
pro-
t alii
epre-
mpio-
fuisse
gene-
men-
mum
xqui-
n.

Nar-
ne sit
po-
sum
atens
ert.

fuit,
ipfit,
Fr.
epist.

tenſii, de reductione regis vni Lentulo mandanda; Craſſi, de tribus legatis, etiam ex iis, qui cum imperio eſſent; Bibuli, de tribus item legatis, ſed ex iis tantum, qui privati eſſent; Seruillii, ne rex reduceretur; Volcatii, vt reduceretur a Pompeio. vt magnam fuiſſe varietatem ſententiarum neceſſe ſit, vbi Lentulo conſulares quattuor, Craſſus, Bibulus, Seruilius, Volcatus, aduerſarentur, in qua tamen varietate cauſam Lentulus obtinuiſſet, niſi variis calumniis ab eius aduerſariis extracta res eſſet. Lib. 2. ad Q. Fr. epiſt. 2.

Inuidia] Conſularium: de quibus in epiſt. 1. *Si eſſet in iis fides.* In 2. *In tanta hominum perfidia.* In 5. *Eandem fidem hominum.* Et ibidem: *Si quid hominum perfidia detraxerit.* Et in extremo: *Amicum ex conſularibus neminem tibi eſſe video.* In 6. *Proditores appellat.* In 7. *Vehementer quosdam homines inuidiſſe dignitati tuae.* Ibidem: *De conſularibus nemini poſſum aut ſtudii erga te, aut officii, aut amici animi eſſe teſtis.* Aliquanto poſt: *Eſſe te in principibus facile ſunt paſſi, euolare altius certe noluerunt.*

Alio] Ad alios: cum quidam ſoli Pompeio cauſam regiam deferri vellent; alii aliter ſentirent.

Acerbum] Aerem aduerſarium: quod ante eum diem non contigerat. non tamen vni Lentulo, ſed Pompeio pariter acerbum fuiſſe arbitror: oderat enim peſſime focerum Pompeii C. Caefarem, vt Suetonius in Iulio c. 52. oſtendit: quare Caefaris potentiam augenti quotidie Pompeio non amicum fuiſſe veriſimile videtur. et eum

Pompeius ipſe ſuum eſſe obtrectatorem aiebat, lib. 2. ad Q. Fr. epiſt. 3.

Curionem] C. Scribonium Curionem, conſularem, et triumphalem, patrem eius, ad quem epiſtola mittuntur lib. 2.

Iuſtorem, paene etiam amicum] Huius mutationis illa Bibulo cauſa fuit, quod, cum ipſe de tribus legatis obtinere non potuiſſet, malebat Lentulo rem deferri, quam Pompeio, quem Caefaris, inimiciſſimi fui, generum, fautoremque et amplificatorem dignitatis, ornari non libenter videbat.

Legem vllam] Quod fautores Lentuli timebant. ideo ſubiunxit: *Satis prouiſum eſt, vt ne quid ſalvis auspiciis, aut legibus, aut iam ſine vi agere poſſint.* Et epiſt. 2.

Ante comitia] Ante Sextilem menſem, quo deſignabantur magiſtratus, maiores centuriatis comitiis, minores tributis.

Laturos] Cato tamen ferre conatus eſt: promulgauit enim, vt Lentulo Ciliciae imperium abrogaretur. epiſt. 5.

Legem Pupiam] Quae comitialibus diebus haberi ſenatum vetabat. lib. 2. ad Q. Fr. epiſt. 2. *Per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta eſt.* Conſecuti ſunt dies comitiales, per quos ſenatus haberi non poterat. Et epiſt. 13. *Comitialibus diebus, qui Quirinalia ſequuntur, Appius interpretatur, non impediri ſe lege Pupia, quo minus habeat ſenatum, et, quod Gabinia ſanctum ſit, etiam cogi ex Kal. Febr. uſque ad Kal. Mart. legatis ſenatum quotidie dari.*

Perſectis] Auditis, et, dato reſponſo, remiſſis.

Legationibus] Quibus dari ſenatum, lex Gabinia iubebat.

Fictae

Fictae religionis] Non enim eos religio mouebat: sed specie religionis maleuolentiam suam tangebant. *Religionis calumnia* vocatur in epist. 1.

Vellet ire] Adempto enim exercitu, nemo ire vellet: cum Alexandrinos, nisi cogerentur armis, regem non esse recepturos constaret.

Ab senatu] Non enim senatus, sed aduersariorum tuorum culpa, ne discessio fieret, commissum est.

Qui nunc] His comitialibus diebus: quorum primus erat xv. Kal. Febr. quo die scripta est epistola. quae enim acta erant in senatu, postero die significat, vt etiam epist. 2. et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2.

Populi ERN. Populi Romani nomine] Populi Romani causam tueri, tribunorum plebis erat. sed eo saepe nomine abutentes, rogationes iniquissimas, maleuolentiae et iniudiae causam, ferebant.

Latrocinio] Quod per insidias, vt latrones, ficto populi Romani nomine, rempublicam laedebant. Sic in epist. 2. ad Q. Fr. *Quid futurum sit latrocinio tribunorum, non diuino.*

Saluis auspiciis] Ne iterentur eadem, vide quae diximus epist. 2.

Ego neque de meo studio] Modesta commemoratio studii sui. nam et dissimulat, et narrat. significandis autem aliorum iniuriis, ex comparatione auget officium suum.

Profundam] Translatione ab aquis. lib. 5. epist. 5. *Quae ego si non profuudere, ac perdere videbor.*

Assecutus] Assequi merita, est aequare, et paribus meritis remunerari: translatione a viatoribus, vel a currentibus, cum assequuntur

eos, qui anteibant. lib. 6. epist. 4. *Beneuolenti in tuam erga me imitabor, merita non assequar.*

Sine summo dolore] Artificiose: nam et beneuolentiam suam declarat, et consolatur etiam societate doloris. lib. 4. epist. 4. 5.

A vi praestare nihil possum] Si vis erit, certi nihil promitto. Alibi, *praestare*, est, re ipsa efficere; hic, certum polliceri, prorsus futurum affirmare, atque in se recipere. lib. 12. ad Attic. epist. 32. *Praestabo, nec Bibulum, nec Acidinum, nec Messalam, quos Athenis futuros audio, maiores sumtus facturos, quam quod ex eis mercedibus recipietur.* Timebat, ne Caninius rogationem aliquam pro Pompeio contra Lentulum per vim ferret. epist. 2. et lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2.

Imbecillitate] Cum aduersus vim fortitudo requiratur.

Populi Romani] Quem in Lentulum optime animatum esse, iam ostendit iis verbis: *Haec tamen opinio est populi Romani.*

Amplitudinem tuam] Latius patet *amplitudo*, quam aut *dignitas*, aut *auctoritas*. nam et quantumcumque, et quacumque re valeamus, totum id *amplitudinis* nomine comprehenditur. interdum tamen, vt in epistola sequenti, cum dignitatis mentione coniungitur; non vt aliquid addatur, sed vt id nominetur, quod in amplitudine praecipuum est. Desinitur his verbis lib. 2. de Inuent. c. 55. *Amplitudo, est potentiae, aut maiestatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia.*